Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2295
Quelle:
Copyright:

quam doctissimo *Jac. Sirmondo* debemus *Paris.* 1645. T. II. p. 29. Epistola praesens inscribitur *de cavendis Vitiis et Virtutibus exercendis*, quem titulum e *Flodoardo*, qui in *Hist. Eccl. Rhem.* Scriptorum *Hincmari* catalogum texit, desumtum probe implet. Initium ejus est: *Domino Karolo Regi glorioso. hincmarus nomine non merito remorum episcopus. ac plebis dei famulus. Mitto uobis sicut iussistis epistolam beati gregorii ad Regaredum regem uuisigothorum* &c. Tribuitur in XII. prolixa Capita, quorum II. ipsa *Gregorii Epistola* constituit. Itaque Tractatum Paraeneticum malim adpellare quam Epistolam. E collatione C. I. sequentia differre comperi. Ed. *transeuntes recta negligunt.* Cod. *transeunter lecta.* Ed. *e contra se erigunt.* Cod. *se contra se erigunt.* Ed. *ut jam in fletibus compungantur.* Cod. *ut etiam in fletibus.* Ed. *sed misericordiae opera exaltant.* Cod. *sed per misericordiae opera exaltat.* Ed. *Omnes qui diligunt munera.* Cod. *Omnes diligunt munera.* Ed. *nec ab humano corde inanem gloriam.* Cod. *gratiam.* Ed. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum. appellatione autem capitis* &c. Cod. *caput meum. Principale etenim nostrum caput est. appellatione capitis* &c. Haec speciminis ergo. Quae qui pensitaverit, pro Codice pronuntiabit. Aliud *Epistolae* hujus Exemplum occurrit *Cod.* praeced.

II. *fol.* 45. sequitur *Exhortatio Sancti Augustini ad quendam Comitem.* Initium: *Frater si cupias scire: quamuis ego nesciam* &c. Vide, quae de subpostitio hoc Opusculo jam alibi dicta sunt.

III. *fol.* 65. p. 2. Opusculum *Bedae de Muliere forti*, cui nihil inscriptum praeter *Beda.* Incipit: *Mulierem fortem qui inueniet. Procul et de ultimis finibus precium eius. Mulier fortis ecclesia catholica uocatur* &c. Atque in hac comparatione insumitur tota Tractatio, quae legitur *Opp.* edit. *Colon.* 1688. T. VII. p. 459. nihil abludens a *Codice.*

IV. *fol.* 72. alia manu non tam concinna et fortasse paullum recentiore *Vita. Mores et Gesta beati Seruatij episcopi.* Est is *Servatius Tungrorum* Praesul, qui vitae sanctimonia clarus *Trajecti* anno 384. ad dominum migravit, cujus *Acta* ab *Harigero* Abb. *Lobiensi* scripta cum additionibus *Aegidii Aureae Vallis* Monach. *Cist.* habes in *Job. Chapeavilli Gestis Pontiff. Tungrens. Trajectens. et Leodiens. Leodii* 1612. T. I. p. 28. 4. et ἀκριβοτερως apud *Bollandianos* T. III. *Maji* ad *d.* 13. p. 209. ubi c. III. p. 215. conjicio, Autorem eorum *Actorum*, quae prae oculis habemus, esse *Jucundum Presbyterum* quendam, qui primus omnium *Servatii* vitam ante an. 1088. congessit, ea tamen credulitate, ut nullam in multis fidem mereatur. Atqui *Acta* nostra ita comparata esse, *Codicis* docet inspectio. Quid quod *Miraculum de Milite Brabanto* a mor-